



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 121. Sed vt impleantur scripturæ. v. 49.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

Habent lucem, ideo eam extinguere cupiunt, ut in tenebris permaneant, ne enala ipsorum opera manifestentur, sed frustra laborant, vt enim scriptura ait: *Non extinguetur in nocte lucerna eius, sed clarius fulget, supraque candelabrum Crucis leuabitur, ut luceat omnibus qui in sanctae Ecclesiae domo sunt.* Quandoquidem ergo Christus amore nostri volens lubensque se sapientum Iudeis tradidit, decet vt & nos vicissim amore illius captiuemus omnes sensus nostros in illius obsequium, oculos non aspectando illicita, aures noxia non audiendo, linguam, neque de rebus otiosis, neque de alio-
cum fama sinistra loquendo, manus abstinendo ab actionibus malis, cor non admittendo noxias cupiditates, mentem denique cauendo noxias co-
gitationes.

§. 121. Sed ut impleantur scripture. v. 49.

Patriarcharum & Prophetarum, quæ de Christo testimonium perhi-
bent, existis nimirū comprehendere eum, quia ita placitū est coram patre,
& ipse voluit: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Isa. 53. tanquam ouis ad victimam ductus
est: *attritus est propter scelerā nostra.* Psal. 21. Circumdederunt me vituli multi &
tauri pinguis obfederunt me, aperuerunt super me os suum, *scut leo rapiens & rugiens;*
& alia eiūmodi plura, quæ inueniuntur in Sacra Scriptura, de Christo im-
pleri debebant, & concludit hanc tragēdiam Euangelista exculando per
implationem scripturarum quodammodo Iudeos, quare venerint ad eum
captiuandum cum gladijs & lignis, ita enim suos scriptores erudiuit idem
mitissimus Dominus ne acerba scriberent, sed suo exemplo mansueto stilo,
& quando nec opus Iudeorum nec intentionem poterant excusare, excu-
sarent aliunde, nempe per prætextum implendi scripturas.

Protektor in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, neque san-
ctum, sine cuius voluntate nihil esse, fieri aut cogitari potest. in terra de-
orsum neque in cœlo sursum, qui cuncta disponis in ordine, pondere &
mensura, ubique prælens, omnia implens, quam suauis est spiritus tuus cle-
mens, mitis, benignus, non acerbus. Nemo hominum tam inge-
niosam excusationem male agentium unquam excogitauit, quam tuus spi-
ritus. Benedictus sis igitur in cœlo, & in terra. Dignus es Agnus, qui occisus
es, accipere honores & gloriam in sœcula sœculorum. Amen.

§. 122. Tunc discipuli eius eum relinquentes omnes fugerunt. v. 50.

Quando scilicet viderunt Christum captivum, ligatum manibus &
collo, & nullam si peresse spem liberationis, anxijs ne ipsi quoque captiva-
tentur cum Domino ligarentur, fugerunt: & sic impletum quod prædixe-